



B E A T V S R H E
N A N V S S E
L E S T A D I
E N S I S,
L V C A E
E D E N B E R
G I O A V G V
S T A N O S . D .



Roximis superio
ribus diebus, cum
huc e Selestadio
reuolasse, The
odori Gramma
ticae institutionis
primum librum, ante mensis ali
quot, pauculis horis ferme totum
a me uersum, comodum in manus
receptam, ut illi Colophonem, iuxta
proverbiu, adderem, cum ex ami
cis quispiam bonaru studijs litera
rum



rum impense fauens, me reducem e patria salutaturus, in bibliothecam meam penetrauit, & post dictam salutem, ac habitos de rebus nostris ultro citroq; sermones, quid istuc libri est inquit (nam pagellas illas in manibus castigaturiēs tenebam) Græci cuiuspiã ni fallor. Recte diuinasti inquã, Theodori illius est, unici suo sæculo Græcorũ decoris. Rem actam inquit ille mihi uideris agere, siquidem Theodori primum uertis. Qui isthuc inquam? Quandoquidẽ inquit ERASMVVS ille tuus, idem libri transtulit, & simul e sinu codicem expromit. Ego mi Luca q̄ fuerim ibi gauisus non facile dixero. Statimq; meæ tralatiunculæ spongiã obducens, libellum plane musteum adhuc, & ab ipsis (qd' aiunt) follibus ad nos profectum, aperio, lego, Erasmus uideo. Nusq; enim non sui similis Erasmus, hoc est, ubiq; doctus, diligens, acutus. Et qui in maximis ubiq; primas tenet, in minimis certe posterioreis non tulerit. Porro cum Ioannes Frobenius Louaniẽse exemplar suis typis esset imitaturus hoc familiaris colloquiĩ *συγγραμμάτιον* adiiciundum putauĩ, quo tibi qui nuper Græcarĩ cœpisti, & tyrunculis quibusq; Græcanicæ literaturæ studiosis gratificarer. Nam tale quĩpĩam a me nuper exigere uisus es cum istac iter facerem, nimirum quo possis cum socio studiorum tuorum Barptolemaeo Villingiacensi de rebus familiarib⁹ græce colloqui. Id quod hic libellus te nonnihil edocebit, iam olim a studioso quopĩam Græce ac Latine mediocriter callente e dictionarijs non infeliciter omnino concinnatus. Atq; ut rem intelligas, is, quisquis fuit, opusculum consarcinauit tribus distinctum libris ceu præfatiuncula, quæ huic libello præponi solet, rectius in operis frontispicio collocanda, testatum reliquit.

quit, Primo uocabula complexus iuxta capita rerum instar Iulij Pollucis, hunc in modum, θεῶν ὀνόματα, hoc est, Deorū nomina. περὶ τῶν ἐν τῷ ἅδῃ, hoc est, De hijs quæ apud inferos. περὶ θεοσεβείας, hoc est, de religione. περὶ ναῶν ἱερῶν, hoc est, de ædibus sacris, & sic deinceps. qui liber etiamnum extat, utinam tam doctus, quæ certe posset esse studiosis omnibus utilis, si foret castigatus. Secūdo dictiones iuxta seriem elementariam digessit. Tertio uocabulorum usum docet, orationem ex illis contexens, quem nunc in publicum damus. Nolim tamen hijs te nugis diutius immorari, sed ex optimis autoribus Luciano, Demosthene, Aristophane, mox Græcam linguam purissimam imbibere. Neque enim ubiq; perinde noster hic atticissat. Quapropter cum hæc lecturus es, iudicio uelim utaris. Porro caue quicquid græce scriptum in manus tuas inciderit, alba (quod aiunt) amussim statim amplectaris. quando, malum, apud Græcos non secus ac apud nos, olim barbaries inualuit, ac tum pessime cū

literis agi cœpit, postquæ fratres illis manus sunt admo-

liti. Ioanni Gallinario Parocho Brisacensi uiro

comitate, literis, integritate nemini secun-

do, nec non Barptolemæo Villingia-

censi amico candidissimo, Theseo

tuo, plurimam ex me salutē

dicas. Bene Vale mi

Luca. Basileæ.

Nonis

Nouembribus. Anno a

Christo nato. M. D. XVI.